Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

humane spiritalisque nequitie diuersa certamina. quo dum in eo uariis temptationibus adpetito semper exsuperat fortitudo uincendi, patientia expectandi, equanimitas sustinendi. O uere ineffabilem uirum pietate, misericordia, caritate, que cum cotidie in sanctis uiris seculo frigescente frigescat, in illo tamen usque ad finem aucta in dies perseuerauit. Quo ego uiro bono uel specialiter fretus sum, cum me indignum et non merentem unice diligebat. En rursus lacrime fluunt, imoque de pectore gemitus erumpit. In quo mihi post hic homine similis requies? In cuius erit caritate solacium? O me miserum, me infelicem. potero ne umquam si diutius uixero non dolere quod martino superstes sum? Erit post hec uita iocunda, erit dies aut hora sine lacrimis? aut tecum frater dilectissime potero illius mentionem habere sine fletu, aut umquam loquens apud te aliud quam de illo loqui potero? Sed quid te in lacrimas fletusque commoueo? Ecce nunc consolatum te esse cupio, qui me consolari ipse non possum. Non deerit ille nobis, mihi crede non deerit. Intererit de se sermocinantibus, astabit orantibus, quodque iam hodie prestare dignatus est, uidendum se in gloria sua sepe prebebit, et assidua sicut ante paululum fecit benedictione nos proteget. Inde secundum ordinem uisionis qua celum sequentibus se patere monstrauit, quo sequendus esset edocuit, quo spes nostra tenenda, quo animus dirigendus instruxit. Quid tamen fiet frater? quod mihi ipse sum conscius, conscendere arduum illud iter ac penetrare non potero. Ita sarcina molesta me pregrauat, et peccati mole depressum non negato in astra conscensu seua miserabilem ducit in tartara. Spes tamen super est illa sola, illa postrema, ut quod per nos obtinere non possumus, saltem pro nobis orante martino mereamur. Sed quid te frater diutius occupo epistola tam loquaci, demororque uenturum? simul iam pagina impleta non recipit. Mihi tamen hec fuit ratio sermonem istum longius proferendi, ut quia doloris nuncium epistola deferebat, eadem tibi et ex quadam nostri confabulatione prestaret karta solacium.

Incipit epistola Sulpitii Seueri ad socrum suam Basulam

Sulpicius Seuerus Basule parenti uenerabili salutem. Si parentes uocare in ius liceret, te plane expilationis furtique ream ad pretoris tribunal iusto loro traherem. Quid enim? Non conquerar quam a te patior iniuriam? Nullam mihi domi cartulam, nullum libellum, nullam epistolam reliquisti: ita furaris omnia, ita uniuersa diuulgas. Si quid ad amicum familiariter scripsi, si quid forte dum ludimus quod uelim tamen occultum esse dictaui, omnia ad te prius pene quam fuerint scripta aut dictata peruenerunt. Nimirum oberatos habes notarios meos per quos tibi nostre ineptie publicantur. nec tamen aduersum eos possum moueri, si tibi parent, qui in ius nostrum ex tua potissimum liberalitate uenerint, seque adhuc tuos quam meos meminerint. Tu sola es rea, tu sola culpabilis, que et mihi insidiaris et illos fraude circumuenis, ut sine delectu ullo familiariter scripta aut negligenter admissa inlugubrata tibi penitus atque impolita tradantur. Nam ut de reliquis taceam, rogo quemadmodum tam cito ad te epistola illa potuit peruenire, quam nuper ad aurelium diaconum scripseramus? Ego enim tolose positus, tu treueris constituta, et tam longe a patria filio inquietante diuulsa, qua tandem familiarem illam epistolam occasione furata es? Namque accepi litteras tuas quibus scribis in eadem epistola qua de obitu domni martini fecerim mentionem, ipsum beati uiri transitum exponere debuissem. quasi uero ego illam epistolam aut legendam alii preter quam ipsi ad quem missa uidetur ediderim, aut tanto ego sim operi destinatus, ut omnia que de martino cognosci oportet me melius potissimum scribente notescant. Itaque si qua de obitu sancti episcopi audire desideras, ab illis potius qui interfuere cognosce. Ego tibi statui nichil scribere, ne ubique me publices. Tamen si das fidem nulli te esse lecturam, paucis tue satis faciam uoluntati. Itaque te prestabo his que mihi sunt comperta participem.

De obitu Sancti Martini

MARTINUS ergo obitum suum longe ante presciuit dixitque fratribus dissolutionem sui corporis imminere. Interea causa extitit qua condatensem dyocesim uisitaret. Nam clericis inter se discordantibus ecclesie illius pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen ad huiusmodi causam non recusauit, bonam hanc uirtutum suarum consummationem existimans, si pacem ecclesie redditam reliquisset. Itaque profectus cum suo illo ut semper frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu, mergos in flumine conspicatur piscium sequi predam et rapacem ingluuiem assiduis urgere capturis. Forma hec, inquit, demonum est: insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos deuorant, exsaturarique non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti uirtute uerborum ut eum cui innatabant gurgitem relinquentes, aridas peterent desertasque regiones, eo nimirum circa aues illas usus imperio quo demones fugare consueuerat. Itaque grege fac